Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36491
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

signaret, nequaquam ex uoce predicantium contra babyloniam psalmi
sta dixisset: In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Baby
lonis quippe in medio esse salices describuntur, quia nimirum infru
ctuosi quique atque ab amore patriae caelestis alieni, totis uisceribus
cordis in hac saeculi confusione radicantur. Unde et predicatores sancti
in istis salicibus non exercent organa, sed suspendunt, quia cum in
fructuosos ac reprobos mites aspiciunt, uim predicationis suae non
exhibent, sed potius lugientes silent. Quid etiam per torrentem, nisi huius
mortalis uitae cursus exprimitur? De quo rursum per prophetam dicitur: De
torrente in uia bibet, propterea exaltabit caput. Quia uidelicet re
demptor noster mortalis uitae poenam in quodam transitu attigit, et
idcirco diu eidem morti cui sponte succubuit non inhesit. Unde
tertia die hoc quod moriendo posuerat, resurgendo caput ele
uauit. Quid est ergo quod de uehemoth isto dicitur: Circumdabunt eum sali
ces torrentis, nisi quod amatores uitae mortalis a bonis opibus quasi
a fructibus alieni, tanto illi arctius inherent, quanto eos largius
delectatio transitoriae uoluptatis infundit? Hos enim quasi
in radicibus torrens rigat, dum in suis cogitationibus amor ui
tae carnalis inebriat. Qui scilicet more salicum fructum non ferunt,
in foliis uiridescunt, quia ea quae grauia ad dicendum non sunt,
aliquando honestatis uerba proferunt, sed nullum uitae pondus
ex bonis operibus ostendunt. Bene igitur dicitur: Circumdabunt
eum salices torrentis, quia infructuosi quique dum amori uitae
temporalis inseruiunt, antiquo hosti peruersis moribus familia
rius obsecuntur. Sed quia quid ei a suis clientibus inpendatur audi
uimus, nunc etiam quid in illis ipse agat audiamus. Sequitur:

xii. Quid sit absorbebit fluuium et non mirabitur.

Absorbebit fluuium et non mirabitur, et habet fiduciam quod influ
at iordanis in os eius. Quid hoc loco fluuii nomine nisi humani
generis decursio designatur? quae uelut a fontis sui origi
ne nascendo surgit, sed quasi ad ima defluens moriendo